

# Zur Geschichte der Sittlichkeit der Wittenberger Studenten im 17. Jahrhundert.

Von Prof. D. Dr. Otto Clemen.

Die sieben Bände *Scripta publice proposita a professoribus academiae Wittebergensis*<sup>1)</sup> sind für die Geschichte der Wittenberger Universität in den Jahren 1544—1569, über die sie sich erstrecken, eine ergiebige Fundgrube. Es sind Ankündigungen von Vorlesungen, von Disputationen und Promotionen, von Universitätsakten bei Übernahme oder Niederlegung des Rektorats, Anforderungen zu würdiger Begehung von festen des Kirchenjahres, zur Teilnahme an Begräbnissen, Nachrufe — besonders interessant sind, weil auf die sittlichen Zustände der Wittenberger Studentenschaft ein grettes Licht werfend, die disziplinarischen Mahnungen und Warnungen und Strafandrohungen und die Relegationspatente. Für die spätere Zeit existiert eine solche Sammlung, wie sie in den *Scripta publice proposita* vorliegt, nicht, man muß sie sich zusammensuchen, es sind meist Einblattdrücke, die naturgemäß zu den größten Seltenheiten gehören. Die Zwicker Ratschulbibliothek besitzt, großenteils in den zwei Riesen-Sammelbänden 26. I. 15 u. 50. I. 2 vereinigt, über 1000 Plakatdrücke zur Geschichte deutscher Universitäten im 16. u. 17. Jahrhundert. Sie harren der Verarbeitung. Ich wähle aus ihnen einige Wittenberger Relegationspatente aus den Jahren 1658 ff. aus, die uns zeigen, daß die Unfitten und Mißstände in der Wittenberger Studentenschaft, über die schon im 16. Jahrhundert oft Klage geführt worden ist, im 17. fort dauerten, ja (z. T. unter den verwilderten Einflüssen des Dreißigjährigen Krieges) sich steigerten und komplizierten. Die unten mitgeteilten Relegationspatente sind gewiß nicht die frühesten, die in Einblattdrücken erschienen und am Schwarzen Brett der Leucorea ausgehängt worden sind. Denn schon am 2. Mai 1610 wurde bekanntgegeben<sup>2)</sup>, daß die Relegationspatente künftig nicht mehr handschriftlich hergestellt, sondern nach dem Vorbild der Leipziger Hochschule<sup>3)</sup> gedruckt und öffentlich ausgehängt werden sollten.

<sup>1)</sup> Strobel, Neue Beyträge zur Literatur besonders des 16. Jahrhunderts. 1. Bd., 2. Stück, Nürnberg u. Altdorf 1790, S. 81 ff. — Friedensburg, Urkundenbuch der Universität Wittenberg, 1. Teil (1502—1611). Magdeburg 1926, S. 223.

<sup>2)</sup> Friedensburg a. a. O. S. 728.

<sup>3)</sup> Das älteste Leipziger Relegationspatent in Form eines Plakatdrückes, das die Zwicker Bibliothek besitzt, ist vom 25. Jan. 1601.

## I.

Rector et consilium academie Wittebergensis publicum. Non infrequenter de juniorum quorundam seu adnovitorum pravitate et corruptissimis moribus questi sumus. Sed hactenus ferme lascivias ac petulantias fuit perstringere, turpia quidem et aliena hoc ordine nomina, sed leviora tamen et quae in lubricitate annorum juvenilium accusanda magis quam execranda veniant. Nunc incessenda et fulminanda impietas ac irreligiositas est, summum ac ultimum humani animi crimen. Nam quo ascendat sceleris jam, qui negligat contemnatque Deum et proculeatis religionibus sacra prophanaque habeat juxta? Ad Divos caste adeundum, adhibendam pietatem, nullum inter sacra vitiis locum relinquendum, favendum linguis, hoc est silentum reverenter nec obstrependum malis vocibus, praeceperunt et paganorum leges. Quo magis habendum curae id Christianis, quibus familiarius certiusque innotuit Deus quique omnem religionem et cultus divini officium non a Pompilio aliquo Numa, sed Deo ipso didicerunt. Et tamen (o prophanitatem!) reperti sunt nuper in nostris (si appellandi nostri sunt, qui desciverunt a Deo quodammodo), qui istaec omnia ludum jocumque existimarent. Quis alias locus augustior templis? Quid sacris mysteriisque, quae peraguntur ibi, religiosius? Quod festum aut venerabilius sacratusque Christianis habendum quam natalitiorum salvatoris solenne est? Nimirum in Christi incunabulis nostrae salutis incunabula posita sunt. Hinc causam atque originem dicit, quicquid per totum annum festivum solenneque in primis ecclesia habet. Sed horum nihil te, Johanna Joachime Hynitsch Northusane, commovere potuit, quominus haud ita pridem, agitatus genio malo, ipsa feria prima natalitorum Domini, quae omnium esse sanctissima consuevit, in mediis sacris dares turbas, cum commilitonum nonnullos impeteres impie in ipso templo et unum eorum nefaria manu subselliis publicis detraheres per vim arreptum pedibus, quasi nullum ipsi jus inibi esset sedendi, ferociusque repelleres illos, qui meliora et salutaria videbantur subjicere. ne quicquam ad prophanitatem extremam propemodum reliqui faceres. Heu, cadit in quemquam tantum scelus? Eone prolapsi sunt mali mores, ut post honestum ac pulchrum ipsum etiam fas piumque eliderent? Dignus equidem eras, Hynitschi, ut, cum religionis sensum omnem ac numinis metum excluderis, cum designares illa in sacro nuper, nunc excluderere penitus musarum nostrarum consortio; putavimus tamen condonandum nonnihil aetati tuae nec veniendum ad ultima statim suppliciorum, si emendatio aliqua a lenioribus posset sperari. Idcirco ad annos ipsos tres nunc religamus te et intra solem occasum academie finibus excedere jubemus. Vos caeteri capietis exemplum et consuletis vobis melius, ne in eandem praecipitatis ruinam. Sed ante omnia pietatem colite atque ubivis et semper reveremini arbitrum omnium et spectatorem non tantum, sed judicem etiam vindicemque Deum. Nisi feceritis, existimate vos dura et tristia et infelia omnia mansura esse. Secunda cura honestatis erit. Quae late ut patet, ita decoris etiam rationem continet. In quam partem ita ex junioribus peccant nonnulli, ut, si de cultu habituque aestimes, vilissima mancipia aut mendicacula<sup>4)</sup> possis putare. Sed quod in laceris pannis atque ex altero humerorum pendentibus aegre, quod male tecti femora et pessime turpiterque calceati incedunt haud raro, non inopiae semper ac egestatis, pravi animi saepius est et ex faedissimis sordibus laudem captantis. Hoc quoque in habitu eorum praetereundum haud est, quod inoleverit nuper, sericis vinculis diversorum colorum pro distinguendis diversis nationibus substringere pileorum margines atque sic insignire velut familias certas. Quae de honestant partim ordinem nostrum haud parum, partim et factionum notas

<sup>4)</sup> Bettler. Plaut. Aul. 4, 8, 3 (705).

praeferunt ac reipublicae nostrae minantur perniciem. Ferenda itaque non sunt, eaque ob causam hortamur omnes serio, ut desinant talia desuescantque penitus, atque in ea potius sedulo operam dent, quae tuerunt studiorum honorem et reipublicae salutem custodiunt. Qui parum habuerint pensi, hos faciemus, ut levitatis suae ac malae libidinis non tralatitie poeniteat. P. p. Dominica 3 post epiphany. [24. Jan.] anno recuperatae gratiae 1658.

## II.

Rector et consilium academie Wittenbergensis publicum. Quae tu, Christopher Seidemann Gryphisbergensis e Silesiis<sup>5)</sup>, superiore designasti tempore, spurca foedaque sunt et, ne cujusquam oneremus pudorem, dissimulanda potius quam exponenda. Delatus igitur eo nomine et pene convictus subduxisti te nequiter, quasi eludere posses judicii nostri constantiam. Citatus deinde peremptorio libello nullus stitisti te, ut contumaciae quoque fieres reus. Non dispari criminis et tu, Georgi Fabrici Lusatiae, obstrinxisti te. Nam debiti tibi cum intenderetur formula, maluisti latere, non inveniendus ministro publico, quam comparendi solvendique subire necessitatem. Cumque mox vocareris in judicium edicto publico, non servasti diem, sed fefellisti contra fidem, quam jurejurando dedisti obstrictus, cum inter cives nostros cooptareris. Pessime habet publica res, nec stare potest, cum jacent leges, cum violantur impune jura et magistratus vis atque auctoritas plane eliditur. Et quia tu, Seidemann, deliquisti gravius nec uno te nomine fecisti reum, idcirco te ad annos 4, te vero, Fabrici, ad annum unum, cuius simplicior culpa et minor est, relegamus, adempta omni hic commandandi interim potestate. Nam quis futurus rerum status erit, quae disciplinae constabit ratio, si connivendo sedendoque sinamus haec juris nostri sanctissima vincula sine poenarum periculo rumpi? Exempla itaque statuenda fuerunt, quae metum terroremque injicerent, ne res in infinitam licentiam erumperet. Quae neque in posterum deerunt, si qui similia deinceps capessent. Cavebitis igitur, nec patiemini vobis verba dare libidines malas, quae in exitium sequentes adducunt. Respiciens perpetuo, quid deceat, quid exigant legum praecepta, et magistratus jura sancta ac inviolata habebitis. Custodietis pudorem et verecundiam, studebitis temperantiae, suum cuique tribuetis. Haec studiosos sapientiae decent, in haec se dare oportet, qui vere ingenui liberique videri volunt. Permittere enim affectibus se et indulgere vitiis ultima servitus est. P. p. feria tertia paschali [13. April] anno recuperatae gratiae 1658.

## III.

Rector et consilium academie Wittenbergensis publicum. Nemo sanus in propria membra saevire solet, quisque parcit corpori suo et, quantum potest, ei consultit bene. Sed cum rubore ulcus malum in parte aliqua cooperit et iam gangraena serpere pestilens, tum uri secarique patimur, ut corruptarum partium clade reliquarum sanitas sinceritasque redimatur. Perinde nos academicci corporis tutelam salutemque agimus, et aegre omnibus est, cum contigit aliqua labe tentari. Quod si timendum, ne spargat se latius valentiorque medicina evadat, tum nihil indulgendum amplius est et pro clementia ac lenitate adhibenda severitas. Quid non suscepimus ac egimus hactenus, ut suo fungerentur quisque officio nostri? Quae non tentavimus omni studio, ut illa effrenis juniorum petulantia lasciviaque cogeretur in ordinem frenumque acciperet? Sed quo profecerint paternae nostrae voces quemque animadversiones ipsae habuerint exitum, palam ac in aperto est.

<sup>5)</sup> Greiffenberg in Schlesien.

Quare asperiores ingrediendae viae sunt et connitendum modis omnibus, ut asseratur sua disciplinae vis et academiae fama auctoritasque vindicetur. Quoniam itaque tu, Bartolde Fasike Stargardia Pomerane, non ita pridem in via publica nulla offensus re aut provocatus comilitonum quemdam adortus nefarie es impetiistique ferro ac vulnerasti atque iam ante non uno te obstrinxisti facinore admonitusque nil resipuisti hactenus, ea te propter ad annos 2 relegamus. Cui te quoque, Christiane Stieler Raguno Anhaltine, et te, Christiane Nietzeli Stargardia Pomerane, adiungimus utrumque ad annos singulos relegantes. Quid juniorum maleferiatorum globus in quemdam profecturum Lipsiam, ut auspicaretur academica studia, non ita pridem designaverit improbe quamque indigne illum tractarit, cantat et detestatur universa civitas. Qua in scena cum primas vos duo praecipuasque egeritis partes, faciendum fuit, ut gravius caeteris, quos suae non minus consequentur poenae, plecteremini, quia peccatis gravius. Abeste igitur et discite interim redire ad frugem! Eo enim castigationes nostrae spectant ac pertinent, non ut evertant, sed ut emendent. Vos caeteri exemplum capite et, quid sequendum fugiendumque sit, imbibite serio. Non enim patiemur impune violari leges aut permittemus existimationem academiae ac dignitatem corrumphi ae proculcari. Vigilabit in omnes animadversio nostra, et, quae quis meruit, ea et feret. P. p. dominica 17 post trinitatis [14. Okt.] anno recuperatae gratiae 1660.

#### IV.

Rector et consilium academiae Wittenbergensis publicum. Non amburbiali praefica aut sindone opus erat heri, Otto Friderice Cuno Magdeburgensis, ut quasi inferias ipsimet paraturus tibi symbolo tam tristi per omnem urbis vicum ad illusionem nostri valediceres cum traha. Jam enim vigilabat nemesis, quam tot criminibus iratam tuopte quidem ausu tibi reddidisti: jam accusabat tua te condicio in diem ac in poenam et αὐτοκατάχριτον<sup>6)</sup> reddebat. Arresti denique, quod terna denunciatum tibi vice fuit, religio posthabita, ut auctoritati magistratus legumque violatarum sanctitati fieret ex parte satis, imperabat. Sed o desperatam audaciam! o supra quam intelligi potest improbam juxta et praecipitem temeritatem! Quisquam ne inveniri queat, tam pervicaciter malitiam robustam pergens, aucturus nefas scelere, nec minis amplius nec monitis nec poenis cobercendus? Plures quidem (uti verum fateamur) extiterunt hactenus magistratum contra contumaces; vix tamen quisquam eo insaniae pervenit, ut ex aequo comparari tibi posse factorum paritate videretur. Tu nimirum haud contentus sine causa praebita comilitonem verberare, die alio in aedibus tunc morituri prope turbas dare, perrupto insuper arresti vinculo exire liber, concivem alium impacto faciei orbe ad deliquium animi ferire, iterum iterumque jussus, ne pedem extra limen poneres tantisper, dum de culpa totuplici cognosceretur plenius, ut dicto audiens existeres, nulla adduci admonitione potuisti. Re bene gesta velut in contemptum magistratus academici istum egisti lusum heri, quem jam initio notavimus. Atque haec non crepera et anceps tui accusatio liquida est nec excusatione opus habet ulla. Ergo ne quid Respublica te propter detrimenti caperet, et pessima morum exempla ad non disparem audaciam provocarent alios, severitate castigandus merito fuisti. Non enim non praedixeramus experturum te esse in nobis asserenda gravitatis militiaeque praesignis tuae vindicanda copiam. Vides tot tantasque rationes, quae vel invitissimos nos adegerunt, ut te, Ottонem Fridericum Cunonem Magdeburgensem, ad annos ipsos 10 elogio publico rele-

<sup>6)</sup> Tit. 3, 11.

garemus. Exesto igitur ex urbe agroque et academia Wittebergensi protinus, ante occasum solem hinc te facesse, et, ne quid gravius obtingat tibi, melioribus imposterum assuesce. Vos autem, o boni, fugite haec talia, quae in contemnum nostri ordinis, in legum elusionem a maleferiatis animis patruntur. Habet Deus ἔχδικον δόμα, nec frustra gladio armatus magistratus est<sup>7)</sup>. P. p. pridie festi nativitatis Christi [24. Dez.] anno recuperatae gratiae 1669.

## V.

Rector et consilium académiae Wittebergensis publicum. De veterum Germanorum criminalibus judiciis judicii acerrimi exquisitissimique scriptor Tacitus<sup>8)</sup> acturus: „Licet, inquit, apud consilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto. Proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude injecto insuper crate mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.“ Erraverit non minimum errorem, qui propter hosce similesque ritus immanissimos Germanos dixerit cum Floro<sup>9)</sup>; apud quos vitia ridebat nemo, nec corrumpere aut corrumphi saeculum vocabatur<sup>10)</sup>. Dicantur barbari ab aliis; sancte nihilominus vixisse, ut plus apud eos boni mores quam bonae leges alibi valuerint, pro teste est historicus idemque eques nobilissimus Romanus<sup>11)</sup>. Utinam vero non apud nostrum ita accusatus consilium fuisses, Georgi Gruber Viennensis, ut discrimen tibi maximum intendi inde debuisset! Nec enim unum, nec leve aliquod delictum est, quod in vicino nuper oppido Düben (Thebas Saxonicas per jocum forte appellaverat doctissimus Philippus<sup>12)</sup>), a fagis potius Vandalica denominatum voce<sup>13)</sup>) commisisti. Scelera tua ostensuri, ut puniantur, flagitia abscondemus interim, obscura illa noctium. Spurca scilicet et castis auribus ac oculis indigna patrasti pariter et effutivisti. Hospites, qui tunc ibi aderant, ex nostratis et exteris, nulla Jaccessitus culpa, homo gladiator, ab arte exercitioque ferox, pugnis verbisque ita exceperisti, ut honestissimo nostro ordini, cuius te membrum (quis crederet!) profitebare alias, insignem maculam adsperseris. O pudor! o nefas! Siccine tu is, qui aetate, qui viribus exemplo junioribus esse debueras quique anno jam superiore tam praesentem indulgentiam expertus nostram eras, redire ad vomitum<sup>14)</sup> et bonorum omnium consortio indignum facere te maluisti? Nec modus variae improbitatis; arresti etiam religionem, quo nobis vinculo adstringebare, furtivo atque clanculario discessu violasti temere. Horumque in singulis per juratos et complures testes adeo convictus es, ut vel in flagitia connovere publica vel ipsi denique illudere justitiae videremur, nisi exemplum aliquod in te expeteremus sine mora. His igitur gravissimis adducti rationibus nos te, Georgium Gruber Vienna Austrum, sine spe redditus parandi ab hac universitate relegamus in perpetuum, et, ut in rem tuam abeas, severe commo- nemus. Coeno potius ac paludi quam sanctissimis musarum fontibus ac officinis scelera ista et propudia existimantur respondere. P. p. Dominica 11. post trinitatis [22. Aug.] anno recuperatae gratiae 1669.

<sup>7)</sup> Rom. 13, 4.

<sup>8)</sup> Germ. 12.

<sup>9)</sup> L. Annaeus Florus, Epitome rerum Romanarum 3, 10.

<sup>10)</sup> Germ. 19.

<sup>11)</sup> Ebenda.

<sup>12)</sup> Vgl. 3. B. Corpus reformatorum 10, 569.

<sup>13)</sup> Hey, Die slawischen Siedlungen im Kgr. Sachsen mit Erklärung ihrer Namen Dresden 1893, S. 229 (wendisch dub = Eichel).

<sup>14)</sup> Prov. 26, 11.

## VI.

Rector et consilium académiae Wittenbergensis publicum. Recti exempli homines recta monentibus obsequuntur capiuntque fructum honestae consuetudinis et vivunt convenienter legibus pacemque servant et sine fuso diligunt mutuo et colunt ac paribus studiis coniunctisque animis ineunt laudis viam nec incertis fallacibusque gaudiis fruuntur. Quod compositum vitae genus te quidem decebat, Valentine Nicolae Lange Jessensis Saxo, si consulere tuis rebus et sequi instituta reipublicae voluntatesque nostras tibi conciliare voluisses. Sed quia saepe multumque commonitus in contumacia perstitisti nec legibus morem gessisti officiumque adeo deseruisti, causa nobis data est, cur duobus annis te hinc abesse jubeamus. Gravius vero admisisti, Jul. Wilhelmus Henricus Leuthner Livo[n]e<sup>15)</sup>, quando nulla apud te neque honoris tui neque auctoritatis nostrae ratio valuit: perinde ac si animus tuus obduruissest ad petulantiam levitas haec laudem tibique polliceretur. Quare ut sentias, nobis ad te puniendum non deesse facultatem, statuimus te in posterum societate nostra esse indignum nullaque opera et gratia juvandum, si maxime etiam finito superioris poenae tempore redire hoc promittereque obsequium et recipere jus civis pristinumque locum ornare velles. Nec mitius in te pro eo ac meritus es consulimus, Johannes Jacobus Diterici Veldheimensis Saxo<sup>16)</sup>, propterea quod fidem fregisti et spretis contemptisque severissimis de poena relegationis cum infamia posthac irroganda comminationibus nullam audacie partem praetermisisti et gravissimi ex nostro ordine viri domum violasti valvasque fenestrarum obductas gladio verberasti: quasi haec tam effrenata levitas sensum rationemque tibi eripuissest. Quocirca in posterum nullus tibi ad hanc academiam aditus patebit, quum uno consilio et mente ab societate nostra te in perpetuum disjunximus ac, uti nuper, ita repetita vice te admonendum duximus, ut petulantem vitam tandem aliquando emendes ignominiamque vites. Id vero est ejusmodi, cives, ut fugere pariter et detestari debeatis, quoniam et dignitas hujus coetus et spes posteritatis vos ad seria invitant amplaque praemia offerunt et morigeris etiam praebent. P. p. 8 post trinitatis [10. Aug.] 1679.

## VII.

Rector et consilium académiae Wittenbergensis publicum. Sacramento confirmatis legibus, paternis monitis, carcere, mulcta, relegatione ac exclusionis nota coërcere quidem saepius infamiam quorundam vindicareque auctoritatem magistratus violatam toties coacti nondum tamen ad hanc adspiravimus felicitatem, ut non iterum de novo conqueri necesse sit. Arresto alligatus injussu rectoris qui discesserit aut alio quovis modo ipsi restiterit ejusve auctoritatem detrectarit, infamis lege 5. académica habetur<sup>17)</sup>. Immo: ,Qui factiones moliri praesumserit atque tumultus concitare, quibus pax et securitas turbatur, cum nominis infamia

<sup>15)</sup> Dieser Raufbold war schon am 23. April 1679 auf zwei Jahre relegiert worden: Mitteilungen aus der livländischen Geschichte, herausgeg. von der Gesellschaft für Gesch. u. Altertumskunde zu Riga, 23. Bd., Riga 1924—1928, S. 633.

<sup>16)</sup> Veltheim bei Rinteln.

<sup>17)</sup> Zitiert werden hier die Satzungen für die Studentenschaft, die an die Stelle der 1616 zum letzten Male erschienenen Melanchthonischen Leges de studiis et moribus studio-sorum traten, von diesen auf die Überschrift entlehnten, aber ausschließlich disziplinarischen Inhalts waren: Friedensburg, Geschichte der Universität Wittenberg, Halle a. S. 1917, S. 393 f. Die Zwicker Bibliotheq. besitzt einen undatierten Plakatdruck (26. I. 13418).

excludatur vel etiam pro delicti modo capitali plectatur poena.<sup>18)</sup> Sic 11. lex imperat. Haec dum ingerere identidem tenemur carmina, quam leniter agamus tecum et benigne, ipsem expades, Johannes Christiane Mildener L<sup>e</sup>resdensis. De pluribus convictus olim actibus illicitis haud ita pridem imprudentia tuapte irritasti in te alios concives, factionem etiam, ne solus laedereris, concitasti tempore nocturno. Sclopulum<sup>19)</sup> onustum pulvere ac plumbo, ut in obvium elideretur, socio suppeditasti quod laedendi genus propter locum, tempus et comilitonem fere vulneratum a scelere exquantum distat? Horum cum coarguereris in consilio decanorum, nulli te subjicere poenae, verbis petulantibus irridere et explodere sententiam judicii, novissime arresto pariter detentus abire ac excedere ausus es.

Tu vero, Johannes Sigismunde Starck Misenensis, quam nulli alii hic noxae succubueris, quia tamen contra Serenissimi mandatum Electoris post accensa dudum lumina explodere id armorum genus et concivem illo petere, ut viæ praetervolaret evibrata glans vestisque oram stringeret, haud veritus fuisti, non impune ferre debes facinus patratum. Te itaque, Johannem Christian. Mildener Dresensem, teque, Johannem Sigismundum Starck Misenensem, relegamus publice ad annum 1. Vos deinde singulos ac universos nostros graviter monemus, ne quis temere in animum inducat, tempore potissimum nocturno, vel explodere bombardas vel praesidiarium offensare militem vel tumultus ac boatus edere insanos. Posthac enim facto potius experiemini, quid aut valeant aut non valeant imperia aulaeque fulmina, dum verba scribere in aqua<sup>20)</sup> aut mittere in inane ingens monita videtur magistratus academicus. Interea vos Numen (cujus cultibus religiose, sobrie ac placide in solidum vacabitis hoc tempore in primis festo atque sacrosancto!) servet, sapienter instruat et tueatur. P. p. Dominica 4 advent. domini [24. Dez.] anno salutis reparatae 1682.

### VIII.

Rector et consilium academie Wittenbergensis publicum. Itane tintinnabula sine malleo videntur seria statuta nostra illis, quorum in praesenti vitia notanda sunt? Vix menstruum effluxit spaciun, cum de servanda inter cives atque milites quiete publico prospiceremus scripto<sup>20)</sup>. Et quantillum tempus est, quo non solum invecti sumus in nocturnos stentores grassatoresque improbos, sed in exemplum poenae etiam stitimus ex immorigeris audacem! Testati pluries testamur iterum non permissuros facile nos fore, ut aut supinitatis in custodienda disciplina accusemur jure aut de victis legibus triumphum canere nonnulli possint. Etsi enim nulla clam discesseris obtenta venia, cum non unam contraxisses culpam antea, Johannes Jacobus Gärtner Numburgensis, haud eludere interim judicium omnino nostrum debuisti. Insultando aliis, vociferando, provocando pluribus famosus actionibus jam olim intrivisti, quod nunc exedendum tibi est<sup>21)</sup>. Si gravius statuere quid animis sederet nostris, aliquot adjungeremus tibi complices, quantumvis dispari excessus gradu notos, sed paterna castigatione hac contenti te ex praecipuis, Johannem Jacobum Gärtner Numburgensem, ad 3 annos relega-

<sup>18)</sup> stloppus = der Schall, der entsteht, wenn man auf aufgeblasene Backen schlägt. Pers. 5,13. Hier scheint es sich um eine Windbüchse zu handeln.

<sup>19)</sup> in aqua scribis = nihil agis. Erasmi Adagia 1, 4, 56.

<sup>20)</sup> Der hier gemeinte Anschlag ist vom 8. Januar 1683. Ein Exemplar des Plakatdruckes: Zwickau 50. I. 2305.

<sup>21)</sup> tute hoc intrivisti, omne tibi exedendum est. Ter. Phorm. 2, 2, 4 (318) Erasmi Adagia 1, 1, 85.

mus, publice mandantes, ne hoc ante terminum elapsum redeas, qui arresti (quo attinebaris) vinculum rupisti. Vos, nostri, agite, tot aliorum meliora moniti suppliciis, in posterum decenter ad honesti pariter rectique regulam incedite! P. p. dominica Invocavit [25. Febr.] anno reparatae gratiae 1683.

## IX.

Rector et consilium academie Wittenbergensis publicum. Dum nobis iterum invitissimis necessitas imponitur ex ordine nostrorum civium proscribere literatos juvenes, qui nulla laccessiti causa et vocibus probrosis insultarunt uni atque alteri in statione militum nobiliorum, academie dolemus vices merito, non observari accuratius paterna monita, sed insuper haberi a quam multis. Quantum enim temporis effluxit, cum haec publicis affixa tabulis promulgaremus?: ,Si quis proterve ausus fuerit in statione aut non laccessentem, ubi sit, ad vulnera injuriasque alias praesidiarium provocare militem, nec velle nos nec posse amplius in temerarios excessus istos connivere<sup>22)</sup>). Ne solummodo ex pelvi fulgur<sup>23)</sup> id statutum videretur, infelicibus exemplis confirmavimus addidimusque tunc intercessurum in his terris summum arbitrum, si neque carceri nec relegationi aut exclusioni ullus fuerit relictus locus amplius, testati innocentiam ex omni parte nostram, si quis forte accusaret. Agite, vos ipsi judicate nunc, quid statuendum sit de talibus, qui sua sibi culpa infortunium accersunt. Vos nimirum,

Caspar Crusi Gubena, et } Lusatii,  
Michael Petrine Cottbusio }  
meruistis, ut supplicium in loco academici consilii exequamur hodie. Tu quidem prior ad biennium, dum actionis primae et injuriarum autor extitisti tute vero alter ad annum 1 propter insecuri actus intemperiem (ne antegressa cumulemus facta) a musarum sacris his abesto et in melius uterque vitam emendato! Cae terum hortamur singulos universos nostros, ut tranquille, sobrie ac innocenter vivant, a propudiosis verbis facinoribusque inter se ac milites omnino alieni. P. p. a. d. 4 Aprilis anno salutis reparatae 1683.

<sup>22)</sup> Es ist wieder der Anschlag vom 8. Januar 1683 gemeint. Über Zusammenstöße zwischen Studenten und Soldaten in Wittenberg vgl. Theodor Motschke, Bilder aus dem Leben der Wittenberger Studenten (1925), S. 30 ff.

<sup>23)</sup> Fulgor ex pelvi, de minis inanibus eorum, qui laedere non queant: Erasmi Adagia 2, 7, 90.

Jahrgang 26

Hefst 1 u. 2

Zeitschrift  
des  
Vereins für Kirchengeschichte  
der  
Provinz Sachsen  
und des  
Freistaates Anhalt



Magdeburg – 1930  
Kommissionsverlag der Evangelischen Buchhandlung  
Ernst Holtermann

Zeitschrift  
des  
Vereins für Kirchengeschichte  
der  
Provinz Sachsen  
und des  
Freistaates Anhalt

Jahrgang 26

Magdeburg ~ 1930  
Kommissionsverlag der Evangelischen Buchhandlung  
Ernst Holtermann

# Inhalt.

	Seite
Nicolaus Krumpach, der sogenannte letzte katholische Pfarrer von Querfurt. (Schluß.) Von D. H. G. Voigt . . . . .	1—32
Der Hospitalbau der Universität Wittenberg und das lutherische Deutschland (1615 ff.). Von Walter Friedensburg . . . . .	33—51
Johann Matthaeus Meyfart. Ein Beitrag zur Geschichte der lutherischen Orthodoxie. Von Christian Hallier . . . . .	52—74
Zur Geschichte der Sittlichkeit der Wittenberger Studenten im 17. Jahrhundert. Von Prof. Dr. Otto Clemen . . . . .	75—82
Die Eschatologie des Ehepaars Petersen, ihre Entwicklung und Auflösung. Von Pfarrer Lic. W. Nordmann . . . . .	83—108
31 bisher unveröffentlichte Briefe Aug. Hermann Franckes an Phil. Jac. Spener. Mitgeteilt von Prof. K. Weiske, Bibliothekar der Franckeschen Stiftungen . . . . .	109—131
Ein Dessauer Religionsprozeß aus dem Jahre 1624. Von Pfarrer Dr. Schmidt in Deetz . . . . .	132—144
Das Werbener Kurrendebuch von 1655 bis 1697. Ein Spiegelbild der Zeit- und Kulturgeschichte in der 2. Hälfte des 17. Jahrhunderts. Von R. Rudloff, Pfarrer an St. Johannes in Werben/Elbe . . . . .	145—158
Eine Urkunde zur Reformationsgeschichte der Stadt Halle. Von Pfarrer Lic. Dr. Delius, Berlin-Friedrichshagen . . . . .	159—164
Miszellen. Luthers Wittenberger Turm. Von D. H. G. Voigt . . . . .	165—175
Bücherbesprechungen . . . . .	176—187
Vereinsbericht . . . . .	188